

cum ingenia non possint; qui rerum potiri volunt, suamque fortunam vel potius tyrannidem querunt, in omnium rerum perturbatione; et, quia virtute non valent neque pollut ingenio, tentant dolo, experiuntur detractionibus abrogare leges, potestate regiam eludere, magistratibus auctoritatem et fidem omnem detrahere, senatorum præfectorumque dicta et facta omnia vituperare. In tanta rerum perturbatione, cum pauci sua sorte contenti esse videantur; cum accusantur reges, penes quos summa imperii esse debet, tyrannidis; accusantur magistratus ambitionis et avaritiae; vituperantur denique omnes, qui aut in foro, aut in re militari, aut in ecclesia, aut in tribunali aliquo officii munere funguntur, quod non populi sed sua commoda potissimum querant; si hæc vera sint: quis est tam ferox, tam immanis tamque crudelis, qui libertatem amissam populi non deploraverit?

Sed videndum est, ne id, quod in aliis vituperatur, in nobisimet ipsis deprehendatur. Cavendum est, ne ista vitia, quæ in magistratibus damnantur, in nobisimet ipsis inveniantur. Tota civitas mihi videtur communis vitio laborare; nec solum nostra civitas, quæ extremis hisce temporibus mortiferum accepit vulnus, sed omnes gentes, quæ in orbe terrarum degunt, in eundem morbum incidisse videntur. Miremini forte L. quæ sit illa species morbi, qua cuncta corporis membra ægrotant, quæ civitatem tam inquietam et morosam reddit. Non est mirandum, si ego, procul a theatro remotus, et ea, quæ aguntur in scena, e longinquo prospiciens, longe aliam de morbi hujus natura sententiam edicere auderem, quam quæ

vulgo promitur. Ut mihi videtur, causa omnium malorum querenda est, non in servitute corporum, sed in servitute animorum, in depravatis moribus, in religionis defectu. Periit virtus, periit præsea fides: deleta est pietas; extincta est morum simplicitas. Habetus religionis formam, sed res ipsa evanuit, et nucleus inanis est.

Etenim quid est, quod tam magnopere affectamus? Quid est, quod querimus parvi et ampli? Fortunam et felicitatem. Sed fortuna queritur non in virtutibus, neque in religione, sed in voluptatibus, in honoribus in divitiis hujus mundi. — Ego homo inurbanus et agrestis ad urbem iter facio, obstupescens domum sutoris excelsam intro: hic nitent omnia sericis et ornamentis; resurgent paries speculis, tabulis et pigmentis; redolent omnes incolæ odoribus et ungventis; resonant tecta instrumentis musicis chordarum: unde hæc, quæso, redundant sutori? Ex officina? Non opinor; sed ex ære alieno. Miror hominis stultitiam atque reprehendo, quod male sibi suisque consuluerit, si quidem ære alieno contracto, cum non sit solvendo, bonis publicatis se suamque familiam in maximam miseriaram præcipitaverit. At ille stomachari, irasci, dicitare, se dignitati suæ consulere debere; non posse se subalia conditione bene honesteque vivere. Hoc vitæ genus non solum in sutoribus et sartoribus, sed etiam in omnibus mercatoribus deprehenditur, quibus omnia sunt venalia præter ambitionem; quorum merces semper plurimo, honos autem et religio et fides minimo consistunt; quorum luxuria et avaritia ad omnes pœne opidanos emanavit. Mercantur, negotiantur; ædificantur ædes, apparantur convivia; in epulis, aleis atque